



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CCLXXXIV. Markgraf Hermann zu Brandenburg berichtet an den Papst
über die Wahl Alberts zum Römischen Könige, am 28. Juli 1298.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

Milites, et quam plures alii fide digni. Actum et datum in Soldin, per manus Johannis Notarii nostri. Anno Domini MCCXCVIII. die ascensionis ejusdem.

Nach dem Originale des R. Geh. Kab.-Archives Job. Orben IX., Vol. 4. -- Sehr fehlerhafte Abdrücke dieser Urkunde befinden sich in Gercken's Fragm. March. IV., 11, und Buchholz, Gesch. der Ehurm. IV., Anh. S. 134. Besser in der Gesch. des Geschlechts von Warburg. Zeit. I.

CCLXXXIV. Markgraf Hermann von Brandenburg berichtet an den Papst über die Wahl Alberts zum Römischen Könige, am 28. Juli 1298.

Sanctissimo in Christo patri ac domino suo, domino Bonifacio sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, Hermannus, Dei gracia marchio Brandenburgensis ac dominus in Henneberch cum filiali reverentia devota pedum oscula beatorum. Vacante iampridem Romanorum regno per mortem dive recordationis, domini Adolphi quondam Romanorum regis, nos una cum ceteris Germanie principibus, ad quos Romani regis electio in imperatorem postmodum promovendi de iure et antiqua consuetudine dinoscitur pertinere, pro salubri status imperii reformatione, et pro celeri Romanorum regis futuri creatione, nec non propter evidentem tocus rei publice utilitatem, et urgentem sacri imperii necessitatem, convenientes in unum post varios et diversos tractatus, inter eosdem principes, nostros collegas, et nos habitos, pensata rei publice utilitate, omnium nostrum voluntate unanimi et consensu, prefixa fuit dies ad eligendam personam idoneam in Romanorum regem, videlicet sexto Kalendas Augusti in civitate Franchenvurte, loco ad hoc debito et consueto. Qua die vocatis omnibus, qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, convenientes ibidem cum principibus antedictis, post varium et maturum cum omnimoda sollicitudine de futuri Romanorum regis electione diligenti premissa deliberacione tractatum, Spiritus sancti gratia primitus invocata, in illustrem virum dominum Albertum, ducem Auftrie et Styrie, virum utique nobilem et potentem, de regali prosapia procreatum, laudabilia strenuitatis paterne vestigia imitantem, in omni virtuositate morum et conversationis multipliciter commendatum, valentem et potentem iura imperii regere, defensare et in melius reformare, ac in statu tranquillo et pacifico conservare, tamquam in magis utilem et idoneum tanto regimini gubernando, habito ad rei publice utilitatem et profectum respectu potissimo, de communi consensu principum eorundem, omnium ac etiam singulorum, oculos nostros iniecitimus, ipsum in regem Romanorum, in imperatorem futurum promovendum, una cum principibus antedictis, voto unanimi concorditer, rite et legitime eligendo, cum sollempnitatibus debitis et consuets. Qua quidem concordie electione quasi divinitus celebrata, eundem cum inenarrabili immensitate tripudii, omnium applaudante caterva nobilium, nec non populi comitiva letante, ac in superne laudis canticum gratulabundius assurgente, cum magna precum instantia et sollicitudine diligenti duximus requirendum, ut ipse electioni per nos concorditer de ipso celebrate precipue propter Deum et utilitatem rei publice, suum dignaretur impertiri consensum, qui tandem

nostra et principum aliorum devictus infantia, nec non totius populi acclamantis laudabilibus desiderii superatus, tam onerosi regiminis sarcinam subeundo huiusmodi electioni de se celebrata legitime annuit et consensit. Quapropter, pater sanctissime, ut de regis sic electi persona sacrosancte Romane ecclesie matri nostre piissime nova gaudia cumulentur, presertim cum idem rex sit fide Catholicus, ecclesiarum amator, iustitie cultor, consilio pollens, propriis potens viribus et multorum potentum affinitate connexus, Deo, ut opinatur, amabilis, et humanis aspectibus gratiosus, ac insuper corpore strenuus et in actibus bellicis contra perfidos fortunatus, propter quod speramus in eo, qui reges et regna constituit, ut sub eius principatu pacifico quies regno proveniet, pax ecclesiis, concordia plebibus, et moribus disciplina, dictum regem, vestrum et sacrosancte Romane ecclesie devotum filium, paterno vestre sanctitatis applausu suscipientes, ipsum favore et benignitate solita, in sibi commisso regimine dignemini gratiosius confovere; quem procul dubio sentietis intrepidum sancte matris ecclesie pugilem et invictum Katholice fidei defensorem. Devotum igitur sancte matris ecclesie filium per nos ceterosque principes electores, tam rite, tam provide sic electum gratiose et benivole prosequentes ac ex affluentem paternam dulcedinem pietatis misericorditer amplectentes eundem, cum sanctitati vestre placuerit et videritis opportunum, ad imperialis fastigii dyadema dignemini evocare, ut sciant et intelligant universi, quod posuerit in lucem gentium vos Dominus et per vestre sanctitatis arbitrium orbi terre post nubilum exoptata serenitas elucescat. In cuius rei testimonium sempiternum et evidentiam pleniorum presentes literas conscribi et nostri pendentis sigilli munimine iussimus roborari. Actum et datum in Franchenvurte, anno Domini MCCLXXXVIII. V. Kalendas Augusti, indictione XI.

Nach dem Original im K. K. Geh. Hof- und Staats-Archiv in Wien. — Perz, Monumenta historica Germaniae IV. Leg. II. 467.

CCLXXXV. Die Churfürsten, darunter Markgraf Otto von Brandenburg, berichten an den Papst über dieselbe Königswahl, am 28. Juli 1298.

Sanctissimo in Christo patri et domino suo, domino Bonifacio, sacrosancti Romane ecclesie summo pontifici, Boemundus Dei gracia Trevirensis, Gerhardus Maguntinensis, et Wicholdus Colonienfis ecclesiarum archiepiscopi, Rudolfus comes palatinus Rheni, dux Bawarie, Albertus dux Saxonie, et Otto marchio Brandenburgensis, Romanorum regis et antiqua consuetudine electores, devota pedum oscula beatorum. Vacante iam pridem Romano regno per mortem dive recordationis domini Adolphi, quondam Romanorum regis, nos principes prefati apud Maguntiam pro salubri status imperii reformacione, et pro celeri Romanorum regis futuri creacione, nec non propter evidentem totius rei publice utilitatem et urgentem sacri imperii necessitatem convenientes — wie in der vorstehenden Urkunde. Datum et actum apud Franchenford, anno Domini MCCXC. V. Kalend. Augusti, indictione XI.

Nach dem Original des K. K. Geh. Hof- und Staats-Archives in Wien. Auch in Perz Monumenta hist. Germaniae IV., Leg. II., 467. Die ausgelassenen Stellen dieser Urkunde stimmen mit der vorigen überein.